

firmiores : ob id homini duo tantum, quadru-
pedibus quatuor, ob notas totidem, vt supe-
rius dictum est. Sed vt pedestria perfectissima,
vt animalia quæ sunt bipeda, vltra hunc nu-
merum quò plures sunt pedes, eò imperfectio-
ra : vt aranei & scorpiones inter terrestria,
polypi & cancri inter aquatica, & eiusmodi
generis. Ob id neque molle, neque crustatum
vllum sonum edit : quoniam à perfectione
multum absunt. Iulis autem tot pedes habuit,
quia proxima est naturæ vermium, atque me-
dia inter pedestria & vermes. Proxima enim
sunt pedibus carere, & numerosos habere:
quod sint imperfectissimi. Vnde videmus,
nonnullis vermium generibus, quasi toto ven-
tre vestigia pedum subesse. Sunt & galleruæ
& canthari : atque hæc nunc hîc notiora, alia
alibi, & posteris.

Quæri potest, quænam sit causa, quòd ani-
malia imperfecta tam facile vbique generen-
tur, & sub niuibus vermes, quod admiratione
omnibus videri potest dignum, qui non ani-
maduerterunt in niue, quæ æstate seruator, ti-
neas gigni, & ob id non niuæ potui immiscent,
sed solum in ea cirneas refrigerant, vel aquam
vini miscentes. Aded sæcunda natura eorum,
quæ nos tantum odimus. Animal quoque sca-
rabeo simile habeo, quod haud sætet, & mol-
le est admodum, celerrimum omnium quæ
nouerim annulorum (vt vocant) animalium,
forma etiam à scarabeo multum differens: co-
lore enim est fuluo, obscuro, non nigro, sex
pedibus, duabus alis tenuibus perbreuibus,
quæ caudam minimè tegunt. Caudam habet
capiti similem, vt bicipitem esse dicas, locu-
stæ marinæ formam in hoc quasi refert, nam
cùm in capite os habet in supina capitis par-
te, duòque ibi cornicula sub mento breuia,
duo rursus alia in prona toto animali longio-
ra, totidem in cauda, sed his duobus quæ in
capite longissima sunt breuiora. Ex his tam-
en, superiora inferioribus longiora sunt, &
crassiora.



CAPVT XXIX.

Serpentes.

Serpentum naturam diximus esse siccissi-
mam, non quia eis humidum acqueum
desit, sed quoniam pingue tale est. Ob id iu-
niores minus noxij, nocentiores senes, cùm
humidum acqueum quo abundant, nihil profit.
Ob id igitur cornuti quidam, vt cerastes : alij
vngulam habent, vt viperarum genera quæ-
dam. Manifestum est autem, talia omnia esse
malefica. Sed & testudinibus in cauda vnguis
quandoque est, non absimilis gallorum cal-
caribus. Opinor, quòd cùm testacea sit, seu
callo, seu amputata summitate, velut & la-
certis, duriorem renasci: sed corticibus vt cal-
caria constat. Serpentum autem vngues non
dissecui, ratio tamen eadem est : nam & cor-
nua talia sunt, solidiora, pinguiora : velut
monocerotis. Excoctum namque tale humi-
dum, serpentum autem crudum. Testudines
autem cornutas, meliores existimant : & pla-
nè tales esse videntur, quòd immodicè sint
humida. Pauca sunt ex hoc genere in nostris

Tom. III.

regionibus quæ edi soleant, præter has. Nam
ranas à paucis annis circa, edere Itali con-
sueverunt: hæc tamen circa horrorem. Apud *Teguana* Scor- pens.
Indos tamen, Peruyguana lacerti genus est,
quod & in aquis & terra viuit, & inter ar-
bores, sædum aspectu, sed tamen gustu iu-
cundum, præcipuè oua. Cùm enim apud nos
omne hoc genus inuisum sit, quod succo ca-
reat : apud Indos, ob aëris caliditatem, & hu-
midam substantiam, vt crescunt, ita etiam
pingues euadunt : & ob id esui apti, præser-
tim quòd in aquis etiam degant. Neque hoc
serpentum genus est, quòd quatuor habeat
pedes & in aquis versetur : pinguescit affri-
cto arena ventre, nouo inuento, vt ferunt:
nec mirum, cùm frictio carnes augere soleat.

Incrementi verò maximi huius generis, tum Serpentum magnitudinis ac docilitatis mira exempla.
serpentum, aliàs exempla attulimus : nunc
duo hæc adieciisse sufficiat : alterum, culus
Petrus Chieza meminit, occidisse Hispanum
serpentem viginti pedes longum, cuius caput
rubens, oculi virides ac prominentes. Sed
nullum euidentius exemplum, quàm quod
narrat Diodorus Siculus, adiiciens capturæ
modum. Et ne quid historiæ addam, aut de-
traham, illam propriis verbis subiungere li-
bet. Sunt autem hæc: Conspicua Ptolomæi Se-
cundi in huiusmodi donis munificentia, Græ-
ci venatores communi animo decreuere, ali-
quem magnum serpentem viuum in Alexan-
driam ad eum traducere. Cùm hæc res gra-
uis, difficilisque esset, fortuna eorum consilio
opitulata est. Serpens erat triginta cubitorum
longitudine, iuxta aquas, qui reliquo tempo-
re immobilis, se in circulum redigens quies-
cebat : accedentibus ad aquam potus causa
cæteris animantibus, subito assurgens, oré-
que nonnulla capiens, alia circumnectens
cauda, depascebatur. Hunc conspicati homi-
nes, cùm longior esset, hebésque natura, la-
queis & catenis illum capere existimantes,
primùm fidenter ad eum accesserunt. Bestiæ
appropinquantes, visis igneis oculis, lingua
lambente singula, squammarum asperitate,
dum moueretur strepitum ingentem reddente,
dentibus insuper eminentibus, oris quo-
que aspectu horrido, immutato colore admo-
dum exterriti sunt. Itaque timidè iniectis ad
caudam laqueis, ad contactum funibus cor-
pus, magnis sibilis conuersa bellua, propin-
quior ore captum viuum deglutiuit: alium
fugientem, cauda longè apprehensum, atque
ad se tractum occidit : cæteri metu percussi,
fuga salutis consuluere : non tamen omitten-
tes belluæ capiendæ curam, spe lucri timo-
rem superante. Arte igitur & dolo potiore,
viribus beluam sunt aggressi. Primùm validis
spissisque funibus rete concauum, gibbi for-
ma, belluæ capax, fecerunt. Tum specularantes
serpentis cubile, atque exitus, reditúsque no-
tato tempore, vt primùm serpens ad consu-
tum animalium pastum prodiit, ore aditus in-
gentibus lapidibus, terræque obducto, in pro-
ximo vallis loco latum in primis ingressum, tū
arctiorem interius veluti cuniculum, cubile
versus in quo rete positum est, fecere. Reuer-
tenti à pastu belluæ, sagittarij, funditorésque,
tum equitum magnus numerus, ad hæc tibi-
cines ad id præparati, omnes sese ostendere:
nulli tamen propiùs adire ausi sunt, aliorum

H 3

malò

Nulli molle
aut crusta-
tum, vocem
aut sonum
edit.

Tinea in
niue.

Animal mi-
ra veloci-
tatis.

Testudines
vnguem in
cauda ha-
bentes.